

nam illi sint, compertum mihi est, nec alia specialia referre nunc temporis de Viro isthoc possum. Progredior itaq; secundo loco ad

JOHANNEM BOCERUM,

Prope Mindam in Westphalia natum circa annum 1510, (minus rectè enim Dania assignatur à *Königio in Bibl. p. 116. b.*) Magni adhuc *Chytræi* tempore hujus Academiae Professore, de cujus verò parentibus aliisque ad *ΓιογχαΦίαυ* spectantibus quod referam, nihil succurrit. Poëtam Laureatum cum fuisse & J. U. Lic. ex Dedic. Sacr. Carm. constat. Sed Poëtam fuisse egregium magnique ingenii Virum, ipse *Dav. Chytræus in Epist. ad Henr. Meibomium*, quæ reperitur apud *Jo. Goes in Opusc. de Westph. p. 23. §.* testatur. *Habui*, inquit, *in hac Rostoch. Academia Collegam & amicum, Johannem Bocerum, prope Mindam in Westph. natum: cujus ingenii felicissimi ubertatem crebrò admiratus sum, dum post cœnam sæpè ac Ennii exemplo benè potum, magnam optimorum versuum copiam fundere sine ullo labore & sine lituris viderem, cum mihi matutinis horis magnâ animi intentione lucubranti & multa subinde delenti ac retexenti vix extundere aliquid in soluta Oratione liceat, iterum legi non indignum.* Socrates verò Saxonicus, (ut appellatur *Johanni Goes l. c. p. m. 161.*) *Joh. Caselius* hæc de eo habet in *Epistola ad Jo. Reccium*, quam ibidem legere licet p. 167. f: *Colui autem amicitiam cum Johanne Bocero, ad Varnum non minus quam ante ad Alvim & ad Viadrum: quem ego non doctum solum, sed & integrum & rectè sentientem de educatione in literis cognoveram. Interpretabatur splendide Poëtas, idque ad Veterum rationem, quam solam esse veram judicabat, in nova inesse futilem ostentationem, nihil solide eruditionis sæpè clamitans.* Quibus ex judiciis Virorum omni laude majorum merita Boceriana in Academiam Rostoch. abundè percipi poterunt. Quod si vero plura quis desideraverit, evolvat ille *Scripta in Acad. Rostoch. publicè proposita, ab An. C. 1560. ad 1567. ed. Rost. 8. An. 1567.*, in quibus magno numero Lectionum ejus intimationes inveniuntur, ex quibus de ejus bene de hac Academia merendi studio judicandum. Habentur & ibi fol. 358. 359. duo ei scripta Epitaphia, alterum abs *Jo. Posselio*, Græcum; alterum Latinum, ab *Henr. Mollero*. E scriptis ejus sequentia mihi innotuerunt:

1. De origine & rebus gestis Ducum Megapoliensium Libb. III, Lips. 8. An. 1556. carmine elegiaco.
2. Annotationes in *Daniæ Reges*, iudem Eleg. versibus, vid. *Lipenii*